

tribus mea Reformationis ad hoc missus, & delegatus confiteor, ut supra. Ego Frater Joannes Baptista a Dongo Procurator Generalis Reformationum interfui, ac pro bono publico, & pace annui.

Approbatio
Protektoris.

§.2. Pro nostri muneris ratione utriusque custodiae paci, & quieti consulentes supradictam conventionem, & concordiam perpetuo valituram, praesenti decreto confirmamus, & approbamus, ab omnibusque, & singulis utriusque reformationis pro tempore existentibus Superioribus, & inferioribus observari volumus, decernimus, & praecipimus sub poenis inobedientiae, aliisque arbitrio solite residentiae, die 29. Martii 1638.

Confirmatio
Pontificia.
prout in rubr.

Fabritius Card. Verallus Protektor. §.3. Cum autem, sicuti eadem expositio subiungebat, dictus Joannes praemissa pro firmiori illorum subsistentia apostolica auctoritate comprobari desideret; Nos ipsum Joannem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejusdem Joannis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, concordiam praedictam, cum omnibus in ea contentis, apostolica auctoritate, tenore praesentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjuicimus, ac omnes, & singulos, tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decretum
irritans.

§.4. Decernentes concordiam hujusmodi, necnon praesentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac a dictarum Custodiarum Superioribus, & Fratibus, & quibusvis aliis, ad quos spectat, & in futurum spectabit, inviolabiliter observari debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio
contractionum

§.5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, dictique Ordinis, & Custodiarum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum omnium tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, ad effectum praemissorum specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 17.
Augusti 1638.
An. XVI.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 17. Aug. 1638. Pont. nostri An. XVI.

Quod in Ecclesiis Parochialibus, quae sunt membra Monasteriorum Congregationis Cassinensis, aut aliis ab ipsis dependentes, cura animarum exerceri possit etiam per Monachos ad nutum suorum Superiorum amovibiles.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Alia a Venerabilibus Fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus Sacri Concilii Tridentini Interpretibus super subinserto supplici libello sibi tunc porrecto emanavit Decretum tenoris subsequenti, videlicet.

Motiva.

§.1. Illustrissime, & Reverendissime Domine. Monasterium Ordinis Sancti Benedicti Congregationis Cassinensis Civitatis Patavinae habet nonnullas Parochiales Ecclesias in eadem Diocesi, quae non sunt unitae Monasterio, sed sunt Parochiales dependentes ab illo, in quibus dictus Episcopus Patavinus dicitur Monasterium fuisse solum deputare Presbyteros seculares, qui praevio ipsius Episcopi examine, & approbatione curam animarum exercerunt, sed ab aliquot annis capisse deputari unum Monachum, qui sine Socio regulari, & cum solo famulo habitat in dicta Parochiali, & curam administrat etiam sine Episcopi approbatione. Unde nunc quaeritur, an in dictis Parochialibus ab ipsis Monasteriis quoquo modo dependentibus, non autem unitis, debeat cura animarum exerceri per Monachum, vel Presbyterum secularem ab ipsis Monachis nominatum, & ab Episcopo approbatum. Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, partibus auditis censuit, in Parochialibus, quae sunt membra Monasteriorum Congregationis Cassinensis, aut aliis ab ipsis dependentes, curam animarum exerceri posse etiam per Monachos ad suorum Superiorum nutum amovibiles, ita tamen, ut iidem prius examinentur, & approbentur ab Episcopo, ejusque jurisdictioni subjiciantur in his, quae ad ipsam curam, & Sacramentorum administrationem pertinent, & cum eo, qui ad eam exercendam fuerit pro tempore deputatus, habitet alius saltem Monachus ejusdem Ordinis Professus ad praescriptum Concilii Lateranensis sub Alexand. III. c. 10.

Supplicatio.

Declaratio
prout in rubr.

§.2. Cum autem, sicut dilectus filius Procurator Generalis dictae Congregationis Nobis nuper exponi fecit, ipsum Decretum hujusmodi pro illius firmiori subsistentia Apostolicae nostrae confirmationis patrocinio communiti summopere desideret; Nos eundem Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione,

Confirmatio
decreti.

causione; vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes: supplicationibus illius nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum praesentium cum omnibus, & singulis in eo contentis, apostolica auctoritate, tenore praesentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjuicimus, ac omnes, & singulos, tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clause.

§.3. Decernentes illud, necnon praesentes literas, valida, firma, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, iudicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Obstantium
derogatio.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dictae Congregationis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 6.
Sept. 1638.
An. XVI.

Datum Romae apud Sanctam Mariam sub Annulo Piscatoris, die sexta Septembris 1638. Pontificatus nostri Anno Decimosesto.

DLXXXV.

Contra deferentes Habitum Tertiariorum Tertii Ordinis Sancti Francisci, absque licentia Superiorum Ordinis, vel deferentes Tunicam oblongam cum, vel sine Caputio, cum Mantello.

Pro observantia hujus Constitutionis die 27. Novembris 1638. Pro-Vicarius Papa Fr. Antonius Cardinalis Barberinus expedivit edictum, sub pena carceris, & exspoliationis Habitum in contrasacientes.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio.

Cum, sicut dilectus filius Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum Regularis Observantiae S. Francisci Nobis nuper exponi fecit, quamplures abutentes Habitum Fratrum Tertiariorum Ordinis ejusdem Sancti Francisci, vel simplicem Tunicam oblongam cum Mantello, vel sine eo absque Superiorum praedictae Religionis licentia deferant, vel etiam eis Caputium, aut Tunicam adjunctum, aut ipsi Mantello confutum superaddant, eo-

rumque nonnulli extra Claustra degentes tum scandalose, & inopportune sub specie peregrinationis, aut alterius emendicati praetextus divagentur, tum etiam aliquas Ecclesias, seu Cappellas, adscito sibi Heremitarum nomine incolant, exindeque maxima apud seculares scandali materia, & pravae opinionis erga praedictam Religionem ingeratur; Nobis propterea dictus Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut tot incommodis, & scandalis opportunum aliquod remedium adhibere de benignitate apostolica dignaremur.

§.1. Nos igitur eundem Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati:

§.2. Omnibus, & singulis locorum Ordinariis, ac nostris, & Sedis Apostolicae Nunciis ubique Terrarum constitutis, & degentibus, tenore praesentium districte praecipiendo mandamus, ne de cetero quemquam praedictam Tunicam oblongam cum, vel sine Mantello, absque Superiorum praedictae Religionis Minorum de Observantia, & cujusvis Instituti, seu Congregationis Ordinis ejusdem Sancti Francisci licentia in scriptis obtenta, quoquo modo deferre permittant: utque si aliquem praemissorum transgressorem repererint, illum carceri mancipandum, tali habitu exuendum, & arbitrariis poenis multandum irremissibiliter curent; & praeterea nemini licitum faciant, etiam si praedictae Religionis Minorum de Observantia, & cujusvis Instituti, seu Congregationis univervi Ordinis hujusmodi Superiorum scripta, seu quovis alio praetextu roborata licentia desuper accesserit, ut habitum hujusmodi cum praedicto Caputio, vel Tunica, seu Mantello, ut praefertur, confuto deferant, sublata ejusdem Ordinis Superioribus, ipsisque locorum Ordinariis, ac Nunciis Apostolicis, & eorum cuilibet quavis auctoritate licentias hujusmodi cuiquam concedendi: ac demum, earundem tenore praesentium volumus, & ordinamus, ut si quisquam tale deferens Caputium, vel cum licentia, vel sine ea inventus fuerit, carceris detentione, habitus privatione, & aliis arbitrariis poenis ab eisdem Ordinariis, & Nunciis omnino puniatur.

Mandat Ordinaris, si quos invenierint, de quibus in rubricarum mancipandos esse, &c.

Contrariis
derogat.

§.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet

modolibet concessis, confirmatis, & innovatis: Quibus omnibus, & singulis, illorum omnium tenores presentibus pro plene, & sufficienter expressis, habentes, illis aliis in suo robore permanfuris, ad premissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptio
credi jubet.

§.4. Ut autem presentes nostrae literae ad omnium, quos illae concernunt, notitiam facilius deveniant; Volumus, quod illarum transumptis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis eadem proferri fides in iudicio, & extra illud adhibeatur, quae ipsis presentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensa.

Dat. die 7.
Octob. 1638.
An.XVI.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die quinta Octobris 1638. Pontificatus nostri Anno XVI.

DLXXXVI.

Decretum Sacrae Rituum Congregat. de non jejunando in Vigilia Sancti Joannis Baptistae quando contingit in die solemnitate Corporis Christi.

Die 24. Septembris 1638.

Cum anno proximo venturo 1639. Vigilia Sancti Joannis Baptistae incidat in diem solemnitate Corporis Christi, fuit a pluribus locorum Ordinaris supplicatum Sanctissimo pro declaratione, quid agendum de jejunio eo die praescripto. Et supplicatione per Sanctitatem Suam ad Sacram Rituum Congregationem remissa; Eadem Sacra Congregatio re mature discussa censuit; Non esse jejunandum, neque abstinendum a carnibus in festo solemnitate Corporis Christi; Sed anticipandum jejunium die antecedenti, nempe feria quarta, prout jejunaretur in ipsa Vigilia; Et videri etiam Sacrae Congregationi, quod Sanctitas Sua, si ita placuerit, praecipere super hoc expediri Breve pro perpetuis futuris temporibus, quando idem casus contingerit: Et facta per me Secretarium relatione de praemissis Sanctitati Suae, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis laudavit, & Breve pro toto Orbe expediri mandavit, prout expeditum fuit, tenoris, ut infra.

C. Episc. Portuen. Card. Pius.

Loco sigilli.

Declaratio, quod non sit jejunandum in vigilia Sancti Joannis Baptistae, quando contingit in die solemnitate Corporis Christi.

Circa hoc habet immediate supra Decretum Sacrae Rituum Congregationis.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum evenire quandoque possit, ut Vigilia S. Joannis Baptistae in diem Festum Solemnitatis Sanctissimi Corporis Domini Nostri Jesu Christi incidat;

Causa hujus
Constit.

§.1. Nos attendentes diem Festum hujusmodi, quo tanti Sacramenti institutio summa totius populi Christiani laetitia recolitur, e principalibus anni festivitibus existere, propterea de Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Sacris Ritibus Praepositorum consilio, deinceps perpetuis futuris temporibus, quoties Vigiliam praedictam in dictum diem Festum Solemnitatis Sanctissimi Corporis Domini Nostri Jesu Christi incidere contigerit, non esse jejunandum, neque a carnibus abstinendum in die festo hujusmodi, sed anticipandum jejunium die immediate antecedenti, nempe feria quarta, prout jejunaretur in ipsa Vigilia, apostolica auctoritate, tenore praesentium statuimus, & ordinamus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Declaratio,
de qua in Rubrica.

§.4. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis eadem proferri fides ubique adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur eisdem literis, si forent exhibitae, vel ostensa.

Transumptio
rum fides.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die decimatertia Octobris 1638. Pontificatus nostri Anno XVI.

Dat. die 13.
Octob. 1638.
An.XVI.

DLXXXVII.

Confirmatio Literarum Pontificiarum, ac praesertim Pauli V. circa Officium Capitanei Portus Ariminensis.

Ex Regest. in
Secret. Brevis.

Dilectis filiis Communitati, & Hominibus Civitatis nostrae Ariminensis.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Dilecti filii, salutem, & apostolicam benedictionem.

Constantis vestrae fidei, & devotionis erga Nos, & Apostolicam Sedem, sinceritas, quam multis jam dudum argumentis comprobastis, Nos inducit, ut votis

Procurium.

votis vestris benigne annuentes, vos specialibus favoribus, & gratis libenter prosequamur.

Summa Literarum Pauli Quinti circa Officium Capitanei Portus Ariminensis.

§.1. Cum itaque, sicut Nobis nuper exponi fecistis, inter alia privilegia, indulta, concessionem, facultates, immunitates, exemptiones, libertates, & gratias vobis, vestraeque Civitati, & illius Magistratibus, Officialibus tum Portus Castrorum Nundinariis, tum Aedilibus, & aliis quovis nomine nuncupatis, necnon circa Jurisdictiones Consululm dictae Civitatis, & Consululm Nundinarum, Aedilium, Capitanei Portus, & aliorum quorumcumque Officiorum a diversis Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris, ac Sedis Apostolicae de latere Legatis, Vice-Legatis, Praesidibus, Camerariis, Commissariis, & Visitationibus Apostolicis quomodolibet concessas, & concessa, ac a fel. rec. Paulo Papa V. etiam Praedecessore nostro per quasdam suas literas, quas Nos per nostras in simili forma Brevis die 24. Septembris 1625. expeditas literas confirmavimus, & approbavimus, confirmatas, & confirmata Capitanei Portus hujusmodi Officium, ad quod unus de Consilio ejusdem Civitatis per vota secreta quot annis, ut asseritis, eligi, & assumi consuevit, ceteris Civitatis Officiis honorabilius reputetur, & propterea eandem Pauli V. literas circa ea, quae Officium Capitanei Portus hujusmodi concernunt, peculiari apostolica confirmationis munimine comprobati summopere desidereris.

Quas literas Communitas Ariminensis per nos confirmari.

Sequitur Confirmatio.

§.2. Nos amplioribus favoribus, & gratis vos prosequi volentes, & vestrum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatas existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinari, praedictas Pauli praedecessoris hujusmodi literas, & in eis contenta, quo ad ea, quae dictum Capitanei Portus Officium concernunt, apostolica auctoritate, tenore praesentium confirmamus, & approbamus, illisque apostolica firmitatis robur adiciamus, ac omnes, & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausula.

§.3. Decernentes illas, necnon praesentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, vobisque plenissime in omnibus, & per omnia suffragari; Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, dictae Civitatis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores presentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore permanfuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Derogatio
contrariorum

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 25. Octobris 1638. Pontificatus nostri Anno XVI.

Dat. die 25.
Octob. 1638.
An.XVI.

DLXXXVIII.

Confirmatio Electionis Ferdinandi Tertii in Regem Romanorum futurum Imperatorem.

Ex Regest. in
Secret. Brevis.

URBANUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Cherissimo in Christo filio nostro Ferdinando Romanorum, & Hungariae, ac Bohemiae Regi illustri salutem, & apostolicam benedictionem.

Cum vices illius, qui regnat in Coelis, & per quem Reges in Terris dominantur, & Principes imperant, in Apostolica Sedis specula meritis licet imparibus sola ejus miseratione, & gratia freti sustineamus, muneris nostri partes esse intelligimus, quae communis utilitatis, salutis, & praesidii causa comparata noscuntur, atque ad Sacri Romani Imperii statum, decus, & amplitudinem praecipue pertinent, iudicii, & auctoritatis nostrae munimine roborare.

Exordium.

§.1. Quapropter cum sub die 22. mensis Decembris anni Domini 1636. Tu, qui clara mem. alterius Ferdinandi Romanorum Regis in Imperatorem electi tunc viventis, & consentientis, ad praesens defuncti natus, & Hungariae, & Bohemiae Rex existis, cujusque amplissima pietatis in Sanctam Sedem Apostolicam argumenta, & strenui in Bellis labores pro tuenda Catholica Religione, aliaque promerita jam satis superque innotuerunt in Romano- rum Regem futurum Imperatorem solemniter electus fueris, & electioni hujusmodi, oblato tibi de more Decreto, qua decet modestia, consenseris, & deinde solito per Te in manibus Ven. Fratris nostri Archiepiscopi Moguntini. praestito more Catholicorum Regum praedecessorum tuorum juramento, aliisque solemnitati-

Ferdinand. III. in Roman. Regem, & futurum Imperatorem electus, & coronatus;

bus requisitis peractis, dicti Archiepiscopi ministerio ritu, & pompa solitis coronatus extiteris: Electionis vero hujusmodi confirmationis negocium nuper Nobis per dilectum filium nobilem virum Joannem Franciscum Chremanie Ducem, & Principem Enhembergi Oratorem tuum specialem, quem ad prestandam Nobis solitam obedientiam destinasti, exponi feceris.

Quam electionem Urbanus confirmat.

§.2. Nos de premissis per legitima documenta sufficienti habito testimonio, & re cum Ven. Fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus diligenter perpenfa, & mature considerata, magna animi nostri cum spirituali letitia ex eadem electione suscepta, ad laudem, & gloriam omnipotentis Dei, & gloriosissime Virginis ejus genitricis Mariae, ac Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, necnon ejusdem S. R. E., & Sacri Imperii exaltationem, & honorem, electionem de persona majestatis tuae in Regem Romanorum futurum Imperatorem, aliaque premissa ob praestantissimas animi, & corporis tui dotes, earumque luculentissima judicia, & testimonia, & certissima, spem, quam de te in sanctae fidei, & Religionis Catholicae ac nostrae, & Romanae Ecclesiae, illiusque rerum, & bonorum defensione, propagatione, & protectione conceptam habemus, de eorumdem Fratrum consilio, & unanimi assensu auctoritate apostolica, & ex certa nostra scientia, ac de apostolica potestatis plenitudine, tenore praesentium confirmamus, & approbamus, omnesque, & singulos juris, & facti defectus, qui aut ratione formae, aut loci coronationis, ut praefertur, factae, aut personarum Principum Electorum, seu etiam ex eo quod idem Ferdinandus Pater tuus electus Imperator de manu Romani Pontificis auream coronam non suscepit, seu quavis alia ratione, vel causa in electione, aliisque praemissis quovis modo forsitan interveniunt, supplemus, Teque sic electum, & confirmatum ad suscipiendum Imperialis dignitatis cultmen suis loco, & tempore dignum, & idoneum decernimus, & declaramus.

Contraria tollit.

§.3. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quibusvis legibus Imperialibus, ac privilegiis Electoribus praedictis, & quibusvis aliis forsitan concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda esset, illorum omnium tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, hac vice dumtaxat auctoritate, scientia, potestate, ac tenore praemissis specialiter, &

expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§.4. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostrae confirmationis, approbationis, suppletionis, decreti, declarationis, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Sanctio poenalis.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo trigesimo octavo, quarto Idus Novembris Pontificatus nostri Anno XVI.

Dat. die 10. Nov. 1638. An. XVI.

Ego Urbanus Catholicae Ecclesiae Episcopus.

In Domino sperans non infirmabor.

Ego Carolus Episcopus Praenestinus. Card. Pius.

Ego M. Episcopus Tusculanus Cardinalis Lantes.

Ego Guido tit. S. Praxedis Presbyt. Card. Bentivolus.

Ego Julius tit. S. Mariae Super Minervam Card. Penna.

Ego Fr. Desiderius tit. S. Caroli Card. de Cremona nuncupat.

Ego Antonius tit. S. Balbinae Presb. Card. de la Cueva.

Ego Fr. Anton. tit. S. Petri ad Vincula Card. S. Honorii Major Penitentiaris, & Bibliothecarius.

Ego Bernard. tit. S. Stephani in Monte Calio Presb. Card. Spada.

Ego Jo. Bapt. tit. S. Eusebii Presb. Card. Pamphilius.

Ego Franc. tit. S. Alexii Presbyt. Card. a Balneo.

Ego Jo. Bapt. tit. S. Silvestri in Capite Presb. Card. Pallottus.

Ego

Ego Franc. Mariae Basilicae SS. XII. Apost. Presb. Card. Paraccianus.

Ego Franc. S. Laurentii in Damaso Diaconus S. R. E. Vice-Cancell. Summator Papae Card. Barberinus.

Ego Petrus Maria S. Grisogoni Diaconus Card. Burgbesius.

Ego Alex. S. Eustachii Diaconus Card. Casarinus.

Ego S. Agatha Diaconus S. R. E. Camer., & Sign. Gratia Praefectus Card. Ant. Barberinus.

DLXXXIX.

Quod Monachi Cassinenses non sunt ullo modo cogendi accedere, nisi ad processionem Sanctissimi Sacramenti.

Ne jam indicata otiose repetantur, vide notata ad Constit. DLXXX. sup. fol. 152.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

§.1. Nuper pro parte dilecti filii Procuratoris Generalis Congregationis Cassinensis Ordinis S. Benedicti Nobis expositum fuit, quod alias, seu nuper a Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Sacris Ritibus Praepositis emanavit Decretum tenoris subsequentis, Bull. Rom. Tom. VI. Par. II.

Motiva cum Decreto de super emanata.

videlicet. Pro Monachis S. Sixti Cong. Cassinensis Placentiae commorantibus narratum fuit, quod ipsi monachi nunquam in eadem Civitate, nec alibi soliti sunt accedere ad alias Processiones, praeterquam ad Processionem Sanctissimi Sacramenti. Nunc vero Episcopus vult cogere, ut accedant etiam ad Processiones, quae fieri solent pro Rogationibus majoribus, & minoribus singulis annis, ad quas antea nunquam accesserunt, & propterea petierunt, non adstringi ultra eorum solitum, & consuetum. Sacra Rituum Congregatio respondit, Monachos praedictos non esse ullo modo cogendos accedere, nisi ad Processionem Sanctissimi Sacramenti, juxta eorum antiquam consuetudinem, quam tam dictis Monachis Placentiae commorantibus, quam aliis ejusdem Congregationis Cassinensis, ubique conservandam esse censuit, & declaravit. die 10. Junii 1602. Dat. hac die 9. Octobris 1638.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Procurator Generalis Decretum hujusmodi pro illius firmitate substantia apostolicae nostrae confirmationis robore communiri summo petere desideret; Nos eundem Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum ferie absolventes, & absolutum fore censentes; Supplicationibus illius nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum praesentium cum omnibus, & singulis in eo contentis apostolica auctoritate tenore praesentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicae firmitatis robor adiciamus, ac omnes, & singulos, tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Confirmatio Decreti, de quo in rubr.

Clausula.

§.3. Decernentes illud, necnon praesentes literas, valida, firma, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet in futurum spectabit, inviolabiliter observari: Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Executores deputatio.

§.4. Quocirca dilecto filio nostro, & Sedis Apostolicae nunc, & pro tempore existenti in Regno Neapolis Nuncio, ac Causarum Curiae Cameracensis Apostolice generali Auditori per praesentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus

unus eorum per se; vel alium, seu alios Decretum, & presentes literas huiusmodi, & in eis contenta quęcumque, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte tam predictorum Monasterii Placentini, quam aliorum quorumcumque eiusdem Congregationis Monachorum requisiti fuerint, solemniter publicantes, illisque in premissis efficacis defensionis presidio assistentes, faciant illos auctoritate nostra premissorum omnium, & singulorum commodo, & effectu pacifice frui, & gaudere, non permittens eos desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogatio contrarium

§.5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quibusvis Congregationis, & Monasteriorum huiusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 17. Novem. 1638. An. XVI.

Datum Romę apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 17. Novembris 1638. Pontificatus nostri Anno XVI.

DLXC.

Ex Reg. in Secret. Brev.

Preces Primarię Ferdinando Tertio Regi Romanorum in Imperatorem Electo conceduntur.

Non absimiles concessiones primariarum precum aliis Romanorum Imperatoribus statim post confirmatam eorum electionem concessas retulimus suo loco.

URBANUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Charissimo in Christo filio Ferdinando Romanorum Regi in Imperatorem Electo, salutem, & apostolicam benedictionem.

Ferdinandi instantia.

§.1. **C**um post factam de persona tua per Sacri Romani Imperii Principes Electores de consensu clar. mem. Ferdinandi Secundi Romanorum Regis in Imperatorem electi Patris tui tunc in humanis agentis in Regem Romanorum electionem, ac per Nos pro universę christianę reipublicę salute confirmatam nuper Nobis significaveris, te summopere desiderare, personas tibi gratas, & acceptas gratia, & munificentia tua aliqua Beneficia Ecclesiastica consequi posse.

Ejus in Eccl. Rom. meritis

§.2. Nos, quemadmodum magnis merentur offerri laudibus, insignibusque præconiis commendari sublimium Prin-

cipum desideria, & vota, que in divini nominis, & personarum illi clericali vinculo adstrictarum amorę feruntur, & opere postmodum consequente tutum deducuntur in actum, ita etiam dignum, vel potius debitum existimamus, ut quoniam in fidei sinceritate, & devotione illibata Ecclesię sponse nostrę te fidelem advocatum devovisti, eamque humili professione Matrem, & Dominam tuam recognovisti, & ad ipsius honorem, & Sacri Romani Imperii decus unctionem victorię, & Diadema etiam nostro ministerio adveniente tempore suscipere, & in eis immobilis persistere intendis, verum etiam tamquam ipsius Ecclesię legitimus Pugil, & Athleta te adversus Schismaticorum, & Hereticorum, Turcarum tyranni, ac Fidei, & Christi nominis hostis insanias, & furores spiritualiter, & temporaliter armaris, & in dies arma huiusmodi jugiter exequeris, ea tibi favorabiliter concedamus, quę tuę celsitudini cedant ad honorem, & per quę eisdem benemeritis personis te munificum reddere possis ope auctoritatis apostolicę exhibitione gratiarum.

Concessio primariarum precum

§.3. Hinc est, quod tuę celsitudinis supplicationi inclinati, dicta auctoritate, presentium serie eidem celsitudini tuę concedimus, & indulgemus, quod si per te quibusvis Collatoribus, seu Collatricibus quorumcumque Beneficiorum Ecclesiasticorum secularium, vel regularium Ordinum quorumcumque per Sacrum Romanum Imperium ubilibet constitutorum, etiam si, qui, vel si quę pontificali, vel alia quavis dignitate prefulgeant, seu Collegia, Capitula, & Conventus fuerint, super singulis Beneficiis Ecclesiasticis cum cura, vel sine cura secularibus, vel Ordinum huiusmodi Regularibus in singulis Cathedralibus, etiam Metropolitanis, Collegiatis, & aliis quibusvis Ecclesiis, etiam Beneficia huiusmodi Canonicatus, & Prebende, Dignitates, Personatus, Administrationes, vel Officia in eisdem Cathedralibus, etiam Metropolitanis, vel Collegiatis, & ipse Prebende in illis ex huiusmodi Ecclesiis, in quibus majores, vel minores Prebende esse noscuntur, etiam si majores fuerint, & ad Dignitates, Personatus, Administrationes, vel Officia huiusmodi consueverint, qui per electionem assumi, eisque cura imminuat animarum, dummodo Dignitates ipse in Cathedralibus, etiam Metropolitanis post Pontificales majores, aut Collegiatis huiusmodi principales non existant, ad eorundem Collatorum, & Collatricum collationem, provisionem, presentationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem conjunctim, vel divisim pertinentibus singulis personis conferendis, seu super hoc, quod persona huiusmodi ad illa recipiantur, & admittantur, preces porrigi, seu de personis eisdem ad huius-

huiusmodi Beneficia nominationes fieri contigerit, primarias, iidem Collatores, & Collatrices, salvo quod singula Collationes, & singula Ecclesię ex hoc ultra quam in uno Beneficio non graventur, ac ipsi Collatores, & Collatrices saltem quatuor Beneficia Ecclesiastica conferre habeant, huiusmodi precibus, & nominationibus parere, & intendere, necnon personas ipsas ad huiusmodi Beneficia, postquam ipsi de illis canonicè provisorum fuerint, juxta earundem precum, aut nominationum tenorem recipere, & admittere debeant, & etiam teneantur, ita quod celsitudo tua unam, & eandem personam supradictis Collatoribus, & Collatricibus, simul, vel successive nominare possit.

Conditiones in huiusmodi precum executione servanda.

§.4. Ita tamen, quod quam primum persona sic nominata de aliquo Beneficio provisa fuerit, ejus nominatio quoad alios Collatores, vel Collatrices facta ipso jure expiret, & quoad easdem preces Canonicatum, & Prebendam, ac Dignitatem, seu personatum, administrationem, vel officium in una Ecclesia pro unico dumtaxat Beneficio computari debere declaramus. Quodque quicumque quibusvis in Dignitatibus constituti, seu Ecclesiarum Cathedralium Canonici singuli videlicet in illis, quos pro singulis personis predictis precum, & nominationum huiusmodi, & ad hoc, ut illa fortiantur effectum, etiam presentium Exequutores deputaveris per se, vel alium, seu alios Beneficia prefata, & indulta quęcumque quomodolibet concessis, & imposterum concedendis, aut aliis quibuscumque mensibus vacaverint, & quę persona, pro quibus preces, & nominationes huiusmodi factę fuerint, quatenus huiusmodi preces, sive nominationes ad illa se extendant, infra mensem, postquam ipsi vacatio huiusmodi Beneficiorum innotuerit, duxerint acceptanda, etiam ipsa Beneficia dispositioni apostolicę alias quam per Constitutionem se rec. Benedicti Pape XII. Prædecessoris nostri, quę incipit: *Ad regimen*; generaliter reservata existant, & ex diversis personis vacaverint, & persona nominata prefata, tempore assequutionis Beneficii, ad quod nominata fuerint, aliud Beneficium in eadem Ecclesia non obtineant, ac secundum statuta, & consuetudines Ecclesiarum, in quibus Beneficia huiusmodi existerint, vel indulta Ecclesiis concessa, capaces, videlicet in etate legitima constituta, aut de legitimo matrimonio procreate sint, dummodo quoad huiusmodi qualitates, alias cum eis canonicè dispensatum, & Beneficia in eadem Ecclesia obtinenda, talia sint, quę sine dispensatione apostolica insimul obtineri possint, aut consueverint, ac ipsorum vacantium Beneficiorum collatio non fuerit juxta Lateranensium Concilii ad Sedem Apostolicam le-

Bull. Rom. Tom. VI. Par. II.

gitime devoluta, neque super illis inter aliquos lis pendeat indecisã cum omnibus juribus, & pertinentiis suis, personis ipsis etiam duo, vel tria, seu plura quorumcumque qualitates, & cujuscumque annui valoris ecclesiastica Beneficia obtinentibus, & expectantibus, conferre, & assignare, necnon omnia, & singula, quę ad hoc, ut precum, seu nominationum, & acceptationum, ac collationum huiusmodi succedat effectus, opportuna fuerint, facere, auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam exequi possint, & valeant: super quibus ipsis plenam, & liberam auctoritate prædicta, tenore presentium, potestatem concedimus, ac etiam facultatem. Ac personis prefatis, pro quibus huiusmodi primarias preces porrigi, seu nominationes fieri contigerit, quod ipsę expectativis, ac nominationibus, seu specialium reservationum, de quibus beneficiis pro eis factarum gratiis, & mandatis de providendo ipsis de eisdem, si quę ipsis concessa fuerint, una cum gratia precum, & nominationum primariorum earundem uti possint, nec aliqua gratiarum huiusmodi consumpta, reliquę earundem cassę censentur, vel irritę, indulgemus.

Derogatio contrarium

§.5. Non obstantibus nostris de non utendo gratia, expectativa, ac reservatione speciali, vel duabus gratiis insimul, ac de infirmatione, & publicatione, & diligentis per acceptantes desuper faciendis, ac in favorem Ordinariorum collatorum, necnon expectativis in forma pauperum habentium, ac Illustrium, & Graduatorum, ac Sedis prefate Officialium, ac certas inibi expressas gratias habentium, necnon quibuscumque in Cancellaria Apostolica quomodocumque publicatis, & publicandis, & aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon aliis Ecclesiarum, in quibus Beneficia huiusmodi forsan fuerint, statutis, & consuetudinibus, illis præsertim, quibus in Ecclesiis, in quibus majores, & minores Prebende huiusmodi fuerint caveri dicitur, quod nullus inibi majorem Prebendam assequi valeat, nisi illam de minori gradatim, & per optionem ascendat, juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus super provisione sibi faciendã de huiusmodi, vel aliis Beneficiis Ecclesiasticis specialibus, vel generalibus dictę Sedis, vel Legatorum ejus literę, etiam nostro, vel eas concedentium proprio motu, aut cujuscumque instantiam sint concessę, vel concedantur imposterum, seu si speciales de huiusmodi Beneficiis per Nos, vel Sedem prefatam, aut quęcumque alia, aut quancumque nominandi, & reservandi facultatem quibusvis, quancumque etiam ecclesiastica, vel mundana dignitate fulgentibus per Sedem prefatam concessarum,